

circumstantiarum diversitate concurrat, fieri potest, ut ignorat<sup>s</sup>  
 unâ circumstantiâ, quæ alteram malitiæ speciem actui addit,  
 eâ ex parte invita sit actio, adeoque sic ratione istius non im-  
 putetur, manente nihilominus malitiâ morali ex alterâ parte  
 propter circumstantiam quandam actui substantialem non  
 ignoratam. Lucem rei foeneratur exemplum, quod B. Sle-  
 yogtius in cit. disp. §. 25. adfert: Oedipus, inquit, Thebas iter  
 faciens à Lajo Parente suo, cui de viâ cedere non vult, scepro per-  
 cutitur. Injuriam non fert Oedipus, sed Lajum, quem ignorat Pa-  
 trem esse, interficit, ut scribit Sophocles in Oedip. Hic Lajus, ut  
 injuriâ afficiens est circumstantia actionis hujus ad essentiam ejus  
 pertinens, quatenus est homicidium. Idem Lajus, ut Pater Oedipi,  
 est ejusdem actionis circumstantia essentialis, quatenus parricidium  
 est. Sicuti autem hæc circumstantia essentialis est actioni in ratione  
 parricidii; ita accidentalis eidem est in ratione homicidii, accidit e-  
 nim homicidio, quod sit parricidium. Unde actio illa Oedipo volun-  
 taria est, quantum ad rationem homicidii, quia singula, in quibus  
 substantialiter est homicidium, ipsi sunt cognita: non autem æque  
 voluntaria ipsi est, quantum ad rationem parricidii, quia ignorat,  
 Lajum Patrem suum esse, quæ tamen conditio ad substantiam parrici-  
 didii pertinet. Igitur actio illa, quatenus habet rationem homici-  
 didii, Oedipum obligat, sed quatenus habet rationem parricidii, non  
 item; ratio, quia substantiam actionis, quatenus parricidium est,  
 ignorat, novit saltem, quatenus homicidium est, & si Oedipus condi-  
 tionem Patris novisset, fortasse etiam homicidium non perpetrasset.  
 Hæc ille. A quibus Aristoteles etiam alienus esse non videtur,  
 dum lib. 3. Nic. cap. 1. inquit: *ὅτι τὰ δὴ ταῦτα τῆς ἀγνοίας*  
*ἕως, ἐν οἷς ἡ πράξις, ὁ τούτων τι ἀγνοήσας, ἀκων δοκεῖ πεπε-*  
*χέναι, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς κριωτέτοις. Κριωτέτα δὲ εἶναι δοκεῖ,*  
*ἐν οἷς ἡ πράξις καὶ ἔνεκα. i. e. cum igitur in his omnibus ignoran-*  
*tia versetur, in quibus actio, qui eorum aliquid ignoravit, fecisse vi-*  
*detur invitus, ac maximè qui rerum ignarus erit principatum obti-*  
*nentium. Principatum autem obtinent in quibus est actio, & cujus*  
*causa reliqua fiunt. Per circumstantias principatum obtinen-*  
*tes intelligit Philosophus circumstantias principales seu essen-*  
*tiales, quarum si quis ignarus est, invitè fecisse videtur.*